

Ipsa etiam provincia s. Joannis a Capistrano novem conventus in Slavonia existentes cessit, scilicet: Požega, Našice, Ilok, Osijek, Brod, Šarengrad, Vukovar, Cernik, Zemun.<sup>8</sup> Proprie haec pars territorii novae provinciae maxima et parte quondam curae pastorali Franciscanorum commissa erat. Provincia enim Capistrana nonnisi divisione a provincia Bosnae Argentinae creata fuit a. 1757.<sup>9</sup> Haec vero jam prius ut Vicaria Bosnae ante Turcarum invasionem habebat inibi domus suas et loca, uti decursu tractationis nostrae non semel adnotavimus.<sup>10</sup> Post Turcarum invasionem inde a clade exercitus hungarico-croatici a. 1526 usque ad liberationem illarum regionum annis 1683—1699,<sup>11</sup> Franciscani provinciae Bosnae Argentinae erant ibi praecipuus clerus pastoralis (ne dicatur fere exclusivus). Habebant ibi fratres plures conventus et numerosas parochias, de quibus sermo fit quasi in omnibus relationibus Visitorum Apostolicorum provincialium provinciae Bosnae Argentinae atque episcoporum, quorum jurisdictioni regiones illae subiacebant.<sup>12</sup> Turcis e Slavonia expulsis, Franciscani illuc de Bosna cum 100.000 catholicorum incirca transmigrarunt,<sup>13</sup> ibique juxta jam existentem populum etiam apud noviter adductum curam pastorem ducere continuarunt. Sic v. g. Joannes Vietri, Visitor Apostolicus, a. 1708 numerat in liberatis Slavoniae et Hungariae partibus 13 conventus et 43 parochias franciscanas provinciae Bosnae Argentinae.<sup>14</sup> Sed sicut a-

<sup>8</sup> A. 1923, mutatis limitibus Regni, adhuc duo conventus provinciae Capistranae, Subotica nempe et Bač, huic provinciae aggregati sunt. *Ibidem*, 13.

<sup>9</sup> Jelenić, Izvori, 28ss.

<sup>10</sup> Cf. supra p. 28, 41ss.

<sup>11</sup> Smičiklas, Dvjestogodišnjica oslobođenja Slavonije, I, 103ss.

<sup>12</sup> Cf. Jelenić, Kultura i bosanski franjevci, I, 158, nota 4; relatio provincialis Pavlović de a. 1623 in *Acta O. F. M.*, XIX (1900), 81—82; relatio Vis. Apostolici P. Maserechi de a. 1623—24 in *Starine J. A.*, XXXIX (1938), 33—42; relatio episcopi Lučić de a. 1638 in *Arch. Propagandae*, Vis. e Col., 17 f. 173v—181r; relatio episcopi Maravić de a. 1655 apud *Fermendžin*, *Acta Bosnae*, 478 sq., n. 1420.

<sup>13</sup> Batinić, *Djelovanje franjevac*, II, 176.

<sup>14</sup> Batinić, *Njekoiko priloga*, in *Starine J. A.*, XVII (1885), 95—97.

<sup>15</sup> *Fermendžin*, *Acta Bosnae*, 546—550 n. 1491; 550—553 nn. 1493—1494; 554—559 nn. 1496—1497.